



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

XLIX. In pœnis benignior est interpretario facienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

ra propriè dictæ servitutis, (E) & offert Juramentum, quod nec ante matrimonium contractum, nec ante illius consummationem onera propriè dictæ servitutis noverit. (F) Judex matrimonium dissolvit, *Carolina* ta-

men proliis alimentationem injungit, cum servus eam alere non possit, nec Dominus teneatur, si contractum matrimonium aut *Carolinam* liberam esse ignoravit. (G)

RESOLUTIO.

(A) Titio servo probandum est, quod *Carolina* ipsum noverit esse servum, per *Reg. 47.* Si *Carolina* servitutis conditionem verè ignoravit, nullum est matrimonium. *Cap. proposit. 2. cap. fin. de conjug. Servor.*

(B) Si Titius publicè habitus fuerit ut servus, contra *Carolinam*, quod servitutem sciverit, militat præsumptio, quæ onus probandi transfert in eandem. *Cap. si verò. 4. de Sentent. excom.*

(C) Si ante matrimonii consummationem servilem sciverit conditionem, ipso facto in servum consensit, ideoque validum est matrimonium. *Cap. fin. de conjug. Servor.*

(D) Si facile scire poterat, scivisse præsumitur.

(E) Cum ex antecedentibus contra *Carolinam* violenta oriatur præsumptio, ipsa probare debet, quod Titium non mancipium, quod est facti, sed famulum conductitium fuisse putaverit: similiter eidem probandum est, quod naturam propriæ servitutis ignoraverit, quod est Juris, cujus ignorantia non præsumitur.

(F) *Carolina* per Juramentum suum probare debet ignorantiam. *Cic. cap. si verò. 4. de Sent. excom. cap. pastoralis. 4. de exception.*

(G) *Carolina* libera prolem alimentare tenetur, cum partus ventrem sequatur: aliàs si alimentatio incumberet domino, vel injungeretur servo, *Carolina* ab onere isto absoluta contra *Reg. 48.* cum Domini locupletaretur jactura.

REGULA XLIX.

In poenis benignior est interpretatio facienda.

Quæres primo. Quis hujus Regule sensus?

ꝛ. Dum dubitatur, quænam ex

duabus aut pluribus poenis delinquenti sit infligenda, vel legis verba sunt ambigua, ita, ut in mitiorem vel severiorem

riorem sensum trahi valeant, mitiorem ac benigniorem sequi oportet. Ratio est; quia odia restringenda, favores autem ampliandi. *Reg. 15. de reg. fur. in 6.*

Quæres secundo. Quæ Regulæ exempla?

1. 1mo. Si quid sub pœna præcipitur, ipso Jure pœna non incurritur, sed solum pœnæ comminatio esse videtur. *Gloss. in cap. Sicut tuis. 33. de Simon. V. Anathematis.* *2do.* Ut pœna incurrat, delictum consummatum, & liquida debet esse probatio. *3tio.* In pœnis nunquam in defectu probationis deferretur Juramentum. *4to.* Pœna in una parte apposita, in altera non censetur repetita. *5to.* Pœna locum non habet, nisi sit expressè constituta.

Quæres tertio. Quæ sunt Regulæ exceptiones?

1. 1mo. In pœnis fit extensio, quatenus verborum significatio proprietatis. *2do.* In pœna excommunicationis Regula non tenet, cum nomine excommunicationis major intelligatur excommunicatio. *Cap. si quem. 59. de Sentent. excom. 3tio.* Ad fraudem removendam in pœnalibus fit extensio, ne illusoria reddatur dispositio. *4to.* Quando in materia pœnali de publica agitur utilitate, facienda est extensio, ne delicta maneant impunita. *5to.* Quando de Ecclesiæ fidei, animarumque agitur favore, pœnalis extenditur constitutio.

REGULA L.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

Quæres primo. Qui actus dicuntur legitimi?

1. 1mo. Pro intelligentia hujus Regulæ inter actus legitimos distinguendum est: *1mo.* Aliqui actus dicuntur legitimi, quia per legem sunt introducti, approbati & recepti; tales actus sunt testamentum, codicillus, donatio, venditio, locatio, cum reliquis contractuum speciebus; uti etiam electio, postulatio, sponsalia, matrimonium. De actibus legitimis in hoc sensu præsens

Regula non tractat: sed actus hîc vocantur legitimi, qui ex natura sua, aut speciali Juris dispositione adjectionem conditionis de futuro, vel certæ diei non admittunt. Tales sunt omnes actus, qui ex institutione sua aut Jure sic disponente certam & absolutam verborum formam requirunt. His præmissis

Quæres secundo. Quis Regulæ sensus?

1. 1mo. Actus legitimi, qui vel ex natura sua, sive ex institutione, sive ex speciali